

ipsum esse sacerdotem in aeternum. Ergo nullo modo potest esse vita summi Pontificis et summi sacerdotis sine summo sacerdotio. Ergo renuntiare non potest, ut videtur. Et nimis extraneum et a ratione remotum apparet, quod summus Pontifex, qui est verus successor et vicarius Jesu Christi, qui est sacerdos in aeternum possit absolvii ab alio quam ab ipso Deo: et quod quandiu vixerit non maneat summus Pontifex: et quod aliquo modo possit esse vita summi sacerdotis sine summo sacerdotio, ut videtur.

Item ex eo, quod si diceretur, quod vita summi sacerdotis esset sine summo sacerdotio, argumentum Apostoli, ubi dicit; Secundum legem Mosaicam plures facti sunt sacerdotes; penitus nullum videretur esse, sed falsitatem contineret: nam posset argui contra ipsum, quia Christus sempiternum habet sacerdotium. Respondet Apostolus: Eo quod manet in aeternum; dico tibi, beate Apostole, non est verum, quia potest in vita sua renuntiare, et non erit sacerdos amplius. Ex hac positione quod Papa renuntiare posset totius Scripturae sacrae et verbi Apostoli falsitas sequi videretur: et ex multis aliis rationabilibus et evidenter causis hoc ipsum videtur verisimile et iustissime in dubitationem deduci.

Item ex eo, quod in renuntiatione ipsius multae fraudes et doli, conditiones et intendimenta et machinamenta, et tales et talia intervenisse multipliciter offerentur, quod esto, quod possit fieri renunciatio, de quo merito dubitatur, ipsam vitiarent et redderent illegitimam, inefficacem, et nullam.

Item ex eo, quod esto quod renunciatio tenuisset (quod nullo modo asseritur, neque creditur) plura postea intervenerunt quae electionem postmodum subsecutam nullam et inefficacem reddiderunt omnino: ex quo vos, qui principaliter tangimini, merito dubitatis, et in quaestionem deducitis dicendo, vos velle scire, utrum sitis Papa, prout in mandato per vos facto, si mandatum dici debet, per magistrum Joannem de Penestre cle-

ricum camerae continebatur expresse, demodo nos, qui ex vera fide asserimus et illuminata conscientia firmiter credimus, vos non Papam, tutu conscientia silere non possumus, quin in tanto negotio, quod sic universalem medullitus tangit ecclesiam, veritas declaretur. Propter quod petimus instanter et humiliter generale Concilium congregari, ut in eodem de his omnibus veritas declaretur, omnisque error abscedat. Et si quidem universale Concilium, auditis et pensatis supradictis et aliis negotiis contingentibus, declaraverit renunciationem legitime et canonice processisse, et electionem legitime et canonice postea subsecutam; eidem declarationi, cui stare et parere nos offerimus, a nobis et ab aliis humiliter deferatur et pareatur omnino. Si vero vel renuntiationem non legitime nec canonice processisse, vel electionem minus legitime et canonice subsecutam, dicti concilii declaratione aut deliberatione claruerit, cedat error, et de vero sponso provideatur legitime et canonice universalis ecclesiae sponsae Christi, etc. Sub anno Domini MCCXCVII inductione X. die veneris, X. mensis maji.

DOCUMENT (Q).

SENTENCE DE BONIFACE CONTRE LES COLONNE.

Bonifacius, etc. ad perpetuam rei memoriam.

Lapis abscissus de monte sine manibus, ab aedificantibus reprobatus, et factus in caput anguli, duos et diversos parietes copulans, pastores a Judaea, et magos ab oriente producens, in se reconcilians ima summis, et ordinans in sancta Romana apostolica et catholica ecclesia charitatem, ipsam sponsam suam statuit esse unam, sicut scriptum est: Una est columba mea, electa mea, perfecta mea: una est matris suae, electa genitricis suae; per inconsutilem tunicam Domini designatam, de-

super contextam per totum. Hanc diviserunt milites, sed sortiti sunt eam. Hanc impugnaverunt haeretici et schismatici, ac blasphemii a juventute sua : sed non praevaluerunt adversus eam divina virtute protectam, et ut castrorum acies ordinatam. Sed nondum haereticis, schismaticis, ac blasphemis adeo est finis impositus, quia velut viperei filii, natique degeneres in senectute positum, ejus sabbatum perturbare, et unitatem scindere moliantur. De quorum numero fore noscuntur Jacobus de Columna et Petrus nepos eius, quondam dictae ecclesiae Cardinales, quos, eorum culpis et demeritis exigentibus ac suorum, pridem VI. idus maii Pontificatus nostri anno III. ex rationabilibus causis moti, de fratum nostrorum concilio Cardinalatu privavimus perpetuo, et deposuimus ab eisdem, variis processibus et sententiis, comminationes et poenas continentibus, contra ipsos habitis; nec non et contra natos quondam Joannis de Columna fratris dicti Jacobi et patris Petri praefati, ac contro omnes, qui per masculinam et foemininam lineam descendederunt hactenus, et descendunt ab ipso Joanne.

Ipsi namque Jacobus et Petrus intraverunt ecclesiam sub pelle ovina, operibus tamen et fructibus se exhibuerunt quasi lupos rapaces; et graves, non parcentes gregi dominico, et in reprobum sensum dati, et oculis excaecati malitia, ita ut lumen coeli non viderent, nec videant; descendentes in malorum profundum, et contempnentes, exurrexerunt loqui perversa : et acuentes ut gladium linguas suas, in blasphema verba, et schismatica proruperunt, aperte monstrantes quod licet ex nobis prodierint, tamen non erant ex nobis : nam si ex nobis fuisserint, utique permanissent nobiscum. Quibus verbis redactis in scriptis, ipsa scripta in diversarum ecclesiarum Urbis ostiis affigi, et super Basilicae principis Apostolorum de Urbe altari poni fecerunt : quae quidem scripta eorum ab olim praecogitata et praecognitam nequitiam patenter indicant, ipsosque Jacobum atque Petrum blasphemos atque schismaticos fore ma-

nifeste declarant, sanctae Dei ecclesiae Romanae catholicae et apostolicae molientes scindere unitatem, et Columnam Dei viventis pene ad nutationem deducere, ac sagenam summi Piscatoris procellis intumescentibus ad naufragii profunda submergere, si, quod absit, eis facultas adesset. In hujusmodi namque scriptis, quae universis eadem inspecturis cujuscumque prae-eminentiae, dignitatis, status, vel conditionis existant, ecclesiastiae vel mundanae, a Jacobo et Petro praedictis mittuntur sub modo scribendi, quo ante depositionem suam uti solebant, et sub sigillis, quibus antea utebantur ; inter caetera continetur, nos divina providentia ad summi apostolatus apicem secundum scita canonum, licet immeritos, evocatos, et non solum ab omnibus fratribus nostris et ab ipsis praevia electione canonica, immo ab Ecclesia universalis receptos in Papam, consecratos, eis assistentibus, secundum approbatum morem Romanae ecclesiae, et etiam coronatos, Papam non esse; haec et alia confingentes, quae non solum sunt blasphemata et schismatica, sed insana, prout eorum scripta indicant manifeste.

Post depositionem etiam et privationem processus et sententias supradictos, Cardinales se nominant, et Cardinalitia portant insignia, annulis et rubeis capillis utentes, et Cardinalitios actus exercent, sicut antequam per nos de fratum nostrorum consilio essent depositi faciebant et hactenus utebantur : ut illud taceamus ad praesens, quod fere per triennium obedientiam nobis et reverentiam exhibuerunt ut Papae, participantes una nobiscum, reverentiam exhibuerunt ut Papae, participantes una nobiscum reverendum dominici Corporis et Sanguinis sacramentum, ac ministrantes nobis in missarum solemnii et divinis, prout ab antiquo solent Cardinales saepedictae Romanae ecclesiae Romanis Pontificibus ministrare; in ecclesiarum provisionibus et diffinitionibus per nos factis consilia sua dantes, et se in concessis a nobis privilegiis subscribentes, alia faciebant nobiscum et recipiebant nobiscum et recipiebant a nobis,

quae cum homine et ab homine cuius non habuissent ingressum canonicum, nec fieri nec recipi debuissent. Nec possent supra dicta metu proponere se fecisse, qui nos in scrutinio, more memoratae ecclesiae Cardinalium, elegerant et nominaverant eligendum in Papam quando de nobis, timendum non erat: et post electionem, receptionem, consecrationem, et coronationem praemissas factas de nobis, in castro tunc ipsorum, quod Zagorium dicitur, et quod perdictum Jacobum tunc temporis tenebatur, cum pluribus ex fratribus nostris hospitati fuerimus confidenter, et ipsi ac sui tunc ibidem exhibuerunt nobis papalem reverentiam et honorem, ubi nulla aderat eis causa timoris.

Nos igitur super his et aliis, quae hujusmodi negotium contingunt, vel contingere possunt, habita cum dictis fratribus nostris deliberatione matura, omnes processus, omnesque sententias, comminationes, et poenas; et specialiter dictam sententiam depositionis et privationis Cardinalitum, et cuncta alia quae in nostris super hoc confectis literis continentur, de eorumdem fratrum nostrorum consilio rata habentes et grata; confirmamus, ratificamus, et approbamus, et etiam innovamus: et propter adactam eorum contumaciam, schisma, atque blasphemiam, de dictorum fratrum consilio ipsos Jacobum et Petrum sententiando pronuntiamus esse schismaticos, et blasphemos, et excommunicationis sententia innodamus; ipsosque, in hujusmodi blasphemia et schismate perdurantes, tamquam haereticos puniendos; et tam dictam depositionis et privationis cardinalatum sententiam, quam omnia, quae contra ipsos et alios fecimus, et pronuntiavimus, de novo facimus, sententiam, atque proferimus, et robur habere decernimus perpetuae firmitatis. Omnibus insuper canoniciis, praebendis, dignitatibus, personatibus, officiis, et beneficiis cum cura vel sine cura; pensionibus, ecclesiasticis redditibus seu proventibus, quae praedicti Jacobus et Petrus, et unusquisque eorum habebant, tenebant, et possidebant in quibuscumque seu a quibuscumque

ecclesiis, monasteriis hospitalibus religiosis et saecularibus vel specialibus personis, eujuscumque eminentiae, conditionis, ordinis, dignitatis, et status, ecclesiastici vel mundani; ipsos omnino privamus, ipsaque collationi sedis Apostolicae reservamus; decernentes irritum, et inane, si secus a quoquam super iis scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Eosdem quoque Jacobum et Petrum, quondam Cardinales; Joannem dictum de sancto Vito, et Oddonem filios quondam Joannis de Columna fratribus dicti Jacobi, et patris Petri praefati omnibus iuribus, et bonis mobilibus et immobilibus ecclesiasticis; et tam ipsos quam Agapitum, Stephanum, et Jacobum dictum Sciarram, filios Joannis de Columna praedicti, et alios filios ejusdem Joannis, si qui alii sunt filii eorumdem vel aliquius eorum, omnibus iuribus, et bonis, et rebus mobilibus et immobilibus, hereditariis seu quomodolibet acquisitis, quibuscumque ratione, causa, vel titulo ad eos vel ipsorum aliquem seu aliquos pervenerint, seu obvenerint, obvenire vel pervenire possent; nec non communitatibus, baroniis, comitatibus, civitatis, sive castris, ubicumque illa habeant, teneant, vel obtineant, vel quomodolibet ad ipsos pertineant, privamus omnino illaque omnia et singula publicamus, et etiam confiscamus; ita quod ad ipsos vel eorum aliquem, heredes ipsorum vel alicuius eorum nullo umquam tempore revertantur, eosque ac unumquemque ipsorum active et passive intestabiles reddimus; ita quod eis et eorum unicuique ex testamento, vel quavis ultima voluntate, seu ab intestato nullus sucedere possit, nec ipsi, aut eorum aliquis ex testamento seu ultima voluntate, vel ab intestato succedere, aut aliquod capere possint; nihilque eis, et eorum alicui ratione legati, institutionis, aut substitutionis, seu quovis titulo valeat quomodolibet obvenire: eosque pronuntiamus infames, et legitimis actibus prorsus indignos; statuentes quod nulli eorum portae alicuius pateant dignitatis ecclesiasticae vel mundanae, et si secus fieret, nullum robur habere, ipsisque civilitatem et

incolatum et habitatione Urbis, circumpositae regionis, et quorumvis civitatum, castrorum, terrarum atque locorum dictae ecclesiae subiectorum prorsus interdicimus : eosque omnes et singulos ab Urbe, eiusque territorio et districtu, et ab omnibus civitatibus, castris, terris seu locis subiectis eidem Romanae ecclesiae forbannimus : ipsosque Agapitum, Stephanum, Jacobum dictum Sciarram, Joannem de Sancto Vito, et Oddonem excommunicationis sententia innodamus; statuentes firmiter, et mandantes, ut nullus dictos Jacobum et Petrum, et praefatos Agapitum, Stephanum, Jacobum dictum Sciarram, Jonnanem, et Oddonem fratres, eos vel eorum aliquem aut aliquos recipiat vel receptet; nullusque eis aut ipsorum alicui, vel aliquibus praestet auxilium, consilium vel favorem ; eos, qui secus fecerint, excommunicationis sententia innodantes. Praecipimus etiam sub excommunicationis sententia, quam contrarium facientes incurrire volumus ipso facto, ut nullus ab ipsis Jacobo et Petro, et praedictis fratribus, vel eorum altero, in schismate vel rebellione huiusmodi existentibus, nuntium vel literas recipiat, aut mittat ad eos vel ad alterum eorumdem.

Reddimus quoque praedictos Jacobum et Petrum, Agapitum, Stephanum, et Jacobum dictum Sciarram, Joannem de S. Vito et Oddonem, et alios si qui sunt filii dicti Joannis de Columna, et filios eorumdem inhabiles ad honorem seu regimen, vel officium publicum, ecclesiasticum vel mundanum, quaelibet et quocumque nomine censeantur, per se, vel alium, aut alias quomodolibet exercenda ; ita quod nec ad illa vocari, eligi, vel assumi valeant, vel ad aliquod eorumdem; nec ipsi, vel aliquis eorum, seu aliqui ea valeant exercere ; et si secus factum fuerit, illud decernimus irritum et inane. Si qui vero ex eis, vel ipsorum aliquis, vel quisvis per eos, vel pro eis, vel ipsorum aliquem, vel aliquos in protestatariae, capitaniae, consulatus regimine, vel quovis officio publico hactenus, ubicumque positi, electi, assumpti fuerint, vel recepti; praesertim quorumcumque

provinciae, civitatum, castrorum, terrarum, atque locorum memoratae ecclesiae subiectorum; illos ab eis penitus amovemus, executionibus ipsis penitus interdictis, eosque praecipimus nullatenus reassumi : et si secus factum fuerit, illud decernimus nullius existere firmitatis.

Civitatis vero, castra, seu loca, quae scienter dictos Jacobum et Petrum, et praedictos fratres receperint, receptaverint, sive tenuerint, aut in quibus publice moram contraxerint, quan- diu ipsi vel alter eorum inibi morabuntur, ecclesiastico supponimus interdicto : et personas ipsorum Jacobi, et Petri, et fratrum capiendas exponimus quibuscumque fidelibus, detinendas et custodiendas diligenter, quoisque per dictam sedem aliud fuerit ordinatum, etc. Actum Romae in Basilica supradicta, (nimurum S. Petri) in die Ascensionis Domini, pontificatus nostri anno III.

DOCUMENT (R).

VERS DE FRA JACOPONE DE TODI CONTRE BONIFACE.

Nous citons les vers de Jacopone de Todi contre Boniface, afin de donner au lecteur un échantillon des moyens employés pour diffamer ce pontife auprès du vulgaire. Ces vers semblent avoir été écrits après la mort de Boniface, puisque le Frère y fait allusion à son arrestation à Anagni. Ils furent probablement composés sous le pontificat de Clément, alors que les calomnies sur lesquelles Philippe-le-Bel essayait d'étayer son procès contre Boniface commençaient à se propager. Nous verrons que les blasphèmes, la dérision des choses saintes, etc., furent les crimes dont on osa charger sa mémoire. Or, ce sont les mêmes injures qu'un religieux, orné du titre de saint, jetait au visage de ce Boniface qu'il avait invoqué si plaintivement quelques années